

No. 83. 1214.

Einigung zwischen dem Stift Meissen und dem Kloster Riesa über die zwischen den Pröbsten beider Kirchen streitigen Zehnten in einigen Dörfern.

Haec est forma compositionis inter Misnensem et Rizowensem ecclesias super decimis, pro quibus earundem ecclesiarum praepositi coram delegatis iudicibus litigabant, quod ecclesia de Rizowe Misnensi praeposito et suis successoribus hoc anno praesentis litis sedatae et cunctis annis sequentibus in perpetuum de quolibet manso sex villarum, quarum haec sunt nomina: Rizowe, Heida, Sentemariendorf, Popuwiz, Lechowe, Golenze^{a)} unum modium siliginis Misnensis mensurae quae nunc habetur sine qualibet contradictione persolvat, et eosdem modios suis vehiculis in Boruz^{b)} faciet deportari. Partes autem iam dictae duos modios aequales facient ad exemplar alicuius modii, qui in civitate Misnensi legitimus habeatur, qui singuli penes singulos remanebunt. Misnensis autem praepositus duorum annorum, quam a saepe dicto praeposito repetebat, remisit annonam, et sex marcas argenti, quas pro retentis duorum annorum decimis capitulo de Rizowe petente consensit accipere, ibidem deo servientibus nomine elemosinae liberaliter dedit et ab omni petitione cessavit. Ut autem firmum apud posteros quod inter partes convenit et sine omni quaestione permaneat, hanc cartulam utriusque capituli sigillis placuit roborari. Testes autem qui praedictae transactioni intererant hi sunt: Abbas de Doberlov, praepositus Novi Operis in Hallis, saepedictus praepositus in Rizowe, Hermannus Strans advocatus, Aloldus parrochianus in Scorenz, canonici Misnenses saepedictus praepositus Misnensis, Bertrammus praepositus Worsinensis, Vlricus custos, Gunzelinus, Albertus de Lubene, Geroldus, Wipertus scolasticus, magister Albertus, Heidenricus vicarii, Reinerus sacerdos, Petrus, Henricus diaconi. Acta sunt haec in Misna anno incarnationis dominicae M°. CC°. XIII°.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen; die an Pergamentstreifen befestigt gewesenen Siegel sind abhanden gekommen.

a) Riesa, Heida, Mergendorf, Poppitz, Leckwitz, Gohlis, sämtlich bei Riesa. b) Boritz.

No. 84. 1216. 31. Mai.

B. Bruno II. und das Capitel bestätigen, dass der Decan Gunzelin drei Talente jährl. Zinsen der Domkirche zu seinem und dem Jahrgedächtniss des Markgr. Dieterich, so wie Getreidezinsen zu Kiwiz zu dem seiner Eltern zugeeignet habe.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Bruno secundus dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus et capitulum. Sicut ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant, ita possessiones ecclesiasticae ad hoc a viris habentur timoratis, ut quod necessitati eorum superfuerit, rursus ad personas ecclesiasticas et per eas redeat ad dominum domini, qui dedit illas, quatinus et a deo gratia et ab hominibus in benefactores suos orationum recurrat instantia. Notum itaque esse volumus tam praesentibus quam